



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XLIX. Quid D. Thomas de hac controuersia, seu de auxilio gratiae efficacis
senserit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

hoc, ut ipse iudicat, concordiam libertatis humanae, cum operatione diuinæ gratiæ, & voluntate impossibilem reddebant. Et ideo quantum in libris de auxilijs, huius viri testimonio usus fuerit, nihil contra ab aduersarijs dictum, vel obiectum est.

CAPVT XLIX.

Quid D. Thomas de hac controuersia, seu de auxilio gratiæ efficaci senserit.

PRæcipuum auctoritatis nomen quo defensores physicae prædeterminationis nos premunt, & sedes capituli de auxilio gratiæ efficaci. sub cuius umbra defendi student, est nomen, & auctoritas D. Thomæ, & ideo nihil ferè in hac materia docent, nec conclusionem ponunt, quam non dicat esse ex mente D. Thomæ, vel frequentius esse expressam. D. Thomæ, ita ut licet ipsi semper inter se contraria doceant, unusquisque intrepidè asserat suam sententiam esse expressè D. Thomæ. Nos verò credimus in hoc puncto à nobis stare D. Thomam, vel saltem non repugnare, & ideo ad eius sententiæ accuratius indagandam, hunc locum, & caput hoc integrum designauimus. In quo prius proponam loca quæ pro contraria sententia afferri solet, dein de producā, quæ nobis fauere videntur, & utraque diligenter expendam, ac explicabo. Aduerto autem quatuor præcipua capita, seu ordines testimoniorum posse in doctrina D. Thomæ spectari, in primo sunt generalia in omnibus causis secundis, quatenus à concursu causæ primæ in agendo pendent, & de his dixi lib. 3. cap. 38. In secundo ordine sunt, quæ de libertate voluntatis generatim loquuntur, quæ tractantur in eod. lib. cap. 44. In tertio gradu pono illa, quæ sunt de modo quo Deus concurrat ad actiones peccaminosas, quatenus tales actiones reales sunt, & hæc attigi in eod. lib. c. 49. In quarto specialiter collocantur, quæ de auxilijs, & motionibus gratiæ tractant. Et hæc sola ad præsentem locum pertinent.

1. Primò ergo allegatur D. Thomas 1. 2. q. 9. art. 6. quia in corpore affirmat, Deum solum, & non agentia creata mouere voluntatem, sed agentia creata ut Angeli possunt voluntatem moraliter mouere, ergo Deus altiori modo, atque adeò physice potest mouere, & prædeterminare. Sed hæc obiectio non magis procedit de actibus gratiæ, quam de actibus ordinis naturalis, nam doctrina ibi data à D. Thoma generalis est. Illatio ergo dupliciter deficit. Primò, quia non loquitur ibi D. Thomas de promotione voluntatis, sed de motione. Deus autem non solum mouet voluntatem per auxilium præueniens, sed etiam per auxilium, seu concursum simultaneum, quem D. Thomas sæpe vocat motionem primi mouentis in eadem 1. 2. q. 109. Et ita nihil aliud est mouere voluntatem, quam aliquid agere in ipsa, sicque D. Thomæ discursus eò tendit, ut probet ipsum motum voluntarium causari à Deo in voluntate. Concedimus ergo loqui de motione physica, negamus autem inde sequi loqui de motione prædeterminatæ. Secundò verò damus illam doctrinam esse veram etiam de motione præueniente: in ea verò, ut supra attigi, duo oportet distinguere, vnum est quomodo fiat, aliud quomodo causet liberum motum voluntatis. Ipsa ergo motio cum sit aliquid reale in hærens voluntas, scilicet aliquid motus deliberatus eius, physice fit, & imprimatur à Deo, qui in hoc superat omne genus creatum. Illa autem motio causat consensum morali

modo, & in hoc etiam est differentia inter Deum, & Angelum, quia ipsamet causalitas moralis longè altiori modo est à Deo, & simile discrimen est ex parte intellectus, nam Angelus solum potest illum excitare, applicando obiecta, vel phantasmas, Deus autem per se illuminando, & physice efficiendo in ipsum. Et ita in præmotione est physica efficientia Dei propria eius sine physica prædeterminatione.

Secundum argumentum sumi solet ex solutione ad tertium eiusdem art. ubi cum dixisset Deum vniuersalem motorem mouere hominem ad bonum, ipsum autem hominem per rationem se determinare ad hoc, vel illud determinare volendum, adiungit, *Sed tamen interdum specialiter Deus mouet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod est bonum, sicut in his, quos mouet per gratiam, ut infra dicitur.* Respondeo tamen aliud esse prædeterminare voluntatem quoad exercitium actus, aliud mouere voluntatem ad aliquid determinate volendum. Nam à priori prædeterminatione non potest separari consensus, ex intrinseca vi talis determinationis; ab altera verò motione potest consensus separari, quantum est ex vi talis motionis. Vnde per sufficientem gratiam præuenientem mouetur, id est, allicitur, & excitatur voluntas ad aliquid determinate volendum, scilicet ad fidem, vel penitentiam, &c. & nihilominus talis motio non prædeterminat voluntatem. Itaque ad aliud aduerbium determinate, quod D. Thomas adiungit, non opponitur indifferentie, vel potestati resistendi, sed opponitur generalitati motionis. Dixerat enim ibi quod Deus mouet voluntatem, ut generalis motus ad vniuersale bonum; hinc ergo vniuersali motioni opponit determinatam motionem, quæ fit per gratiam, tamen sicut illa motio vniuersalis non determinat physice voluntatem ad exercitium actus circa vniuersale bonum, sed ad summum quoad specificationem, iuxta doctrinam eiusdem D. Thomæ ibi q. 10. art. 2. ita etiam motio gratiæ ad aliquid determinate volendum, non determinat quoad exercitium actus, sed determinat ad certam speciem licet non determinando absolute, & simpliciter, etiam quoad specificationem, qui cum bonum sit particulare, potest voluntas aliquid illi præferre pro suo arbitrio, in quo differt hæc motio ab alia, quæ est ad bonum in communi. Potest tamen illa motio dici determinare ad certam speciem actus, quantum est de se: nam si ex tali motione voluntas deliberatè operetur illi consentiendo, efficiet honestum actum in tali, vel tali specie, & non alium. Vnde potest hæc motio esse, vel ex parte obiecti illuminando intellectum circa tale bonum, vel ex parte voluntatis simplicem aliquem affectum, vel suauitatem circa illud præbendo, manente semper indifferentia voluntatis ad talem motionem sequendam; sicut etiam habitus inclinatur ad aliquid determinate volendum, relinquendo indifferentem voluntatem, ut illa inclinatione sequatur, vel ei resistat.

Et iuxta doctrinam ad intelligenda alia loca D. Thomæ oportet distinguere verbum determinate, nam intelligi potest, vel de determinatione quoad exercitium actus, & in hoc sensu nunquam inuenitur apud D. Thomam voluntatem in hac vita prædeterminari ab aliquo exteriori mouente. Alio modo significare potest verbum illud determinationem quoad speciem actus, vel necessitando quoad specificationem, ut respectu boni in communi, vel inclinando tantum, quantum est de se. Et hoc modo dicitur interdum voluntas determinari ab habitu, vel à passione, vel ab obiecto, & prius dicitur moueri ad aliquid determinate volendum, ut D. Thom. in illa solut. ad 3. loquutus est. Aliquando verò ita loquitur D. Thom. nam. 1. contr. gent. cap. 82. ad 4. dicit, *bonum apprehensum*

voluntatem determinare ut obiectum proprium. Vbi Ferrariensis notat determinare, illo modo nihil aliud esse, quam dare speciem actui, & ibidem distinguit duplex determinans, vnum efficiens, aliud specificans, & hoc posteriori modo dicit ibidem, voluntatem diuinam determinari ab intellectu, cum tamen certum sit non determinari quoad exercitium actus, nisi ad dilectionem sui, ad alia vero solum obiectiue, ut voluntas possit ad hoc, vel illud suum actum terminare. Et in eadem significatione D. Thom. q. de illo art. vnic. distinguit exercitium actus a determinatione, & exercitium dicit esse a voluntate mouente seipsam, determinationem vero esse ab obiecto. Sic ergo in citato loco dicit Deum per gratiam mouere ad aliquod determinatè volendum, quia mouet ad particularia obiecta, quæ non possunt nisi per determinatos & particulares actus amari.

Tertio obijciunt totam quæstionem 109. D. Thom. in 1. 2. in qua sepe D. Thom. dicit indigere hominem ad opera gratiæ auxilio Dei mouentis. Sed illa loca non pertinent ad auxilium præuium, seu præueniens, sed ad concursum simultaneum, seu auxilium concomitans, quod cum proportionem generale est omnibus rebus, ut in libr. 1. & 3. ostendi sæpius. Et ideo hanc obiectionem omitto, solumque aduerto vbi D. Thom. in illa quæstione postulat auxilium gratiæ præueniens præter rationem illam primi mouentis explicare illud per verba pertinentia ad excitantem gratiam, & moralem inductionem, & directionem, sic enim dicit art. 9. Necessè est nobis ut à Deo dirigamur, & protegamur, quia omnia nouit, & omnia potest. quæ verba sunt valde notanda, nam in eis P. Sanctus explicat gubernationem internam præuenientis gratiæ morali modo, & illius certum, & infallibile regimen non tribuit soli omnipotentia, sed adiungendo omnem scientiam sub qua necesse est conditionatam etiam comprehendit, nam debet esse talis, quæ sit præuia, & dirigat, (nostro modo loquendi) omnipotentiam, & voluntatem ut certa & infallibilia media eligat, & exequatur. Scientia autem sic præuia potest esse de futuro effectui libero, nisi conditionata, ut in Prolegom. 2. dictum est. Et eodem modo loquitur D. Thomas in 2. d. 28. q. 1. art. ad 3. & 3. contr. gent. cap. 147. & 148. Vbi solum docet, auxilium gratiæ esse necessarium, & non tollere libertatem. Vnde immerito hæc loca contra nos allegantur.

Quarto obijciunt eundem Doctorem Sanctum in 1. 2. q. 111. art. 2. dicentem ad interioriorem actum voluntatis dari auxilium gratiæ operantis, & reddi hanc rationem. Quia quantum ad ipsum actum voluntatis se habet ut mota, Deus autem ut mouens, & præsertim, cum voluntas incipit bonum velle, quæ prius malum volebat. Dixerat autem supra in eodem articulo, in illo effectus, in qua mens nostra est mota, & non mouens, solum Deum esse mouentem, quia operatio alicuius effectus mouenti tribuitur, & non mobili. Ergo sentit D. Thomas primum voluntatis actum, præsertim in primo consensu fidei, vel conuersionis in Deum, præcedere ex motione Dei, cui soli sit tribuendus sub aliqua ratione at hoc esse non potest, nisi per physicam prædeterminationem in; ergo.

Respondeo concessa tota maiori propositione, negando minorem, loquitur enim ibi D. Thomas de actu interiori voluntatis, qui est intentio, vel simplex consensus in aliquod supernaturale bonum propositum, ut propter se amandum, propter honestatem suam; ita ut talis actus eliciatur non per modum electionis, sed per modum intentionis, aut voluntatis primæ De quo motu D. Thomas generaliter docet non homini, sed auctori naturæ esse tribuendum, ut supra libr. 3. cap. 44. tractauimus, vbi id explicuimus intelligendum esse non secundum

Fr. Suarez de Gratia Pars II.

dum physicam efficientiam, sed secundum moralem quandam attributionem, secundum quam dicitur voluntas se mouere, cum ex intentione medio consilio ad electionem progreditur, non vero in ipsa intentione finis. Illam ergo doctrinam accommodat ibi D. Thomas ad voluntatem in ordine operantem, nam in prima intentione, seu voluntate dicit moueri ab auctore gratiæ per gratiam operantem, quia nondum operatur ex electione, postea vero in electionibus etiam gratuitis iam se mouere per gratiam cooperantem. Ergo ad illum modum loquendi de gratia operante, (siue alias verus sit, siue non, de quo in eodem libr. 3. cap. 21. diximus,) non est necessaria prædeterminatio physica, sed sufficit specialis motio accommodata, ut voluntas possit intendere tale bonum, vel alio modo propter se, ac simpliciter in illud tendere, si velit, etiam si ad illud non prædeterminetur. Nam licet propter illam motionem talis actus voluntatis morali, & speciali modo tribuatur Deo, non excluditur, quin à voluntate, & liberè efficiatur, ac proinde tam moraliter quam physice fiat, ut ibidem ad 2. D. Thomas fatetur. Et ideo in illo determinatio quoad exercitium ab ipsa pendet, etiam si per gratiam operantem præmoueat.

Et potest hoc confirmari ex eod. D. Thoma quodlibet. 7. art. 1. ubi cum in corpore eandem doctrinam tradidisset, & in argumento 2. obiectisset, quod talis modus motionis, epugnat libertati, respondet ad 2. quod Deus mouet omnia secundum modum eorum, & ideo diuina motio à quibusdam participatur cum necessitate, à natura autem rationali cum libertate. Explicans autem quid sit in rationali natura moueri secundum modum suum, adiungit. Et ideo sic Deus mouet mentem humanam ad bonum, quod tamen potest huic motui resistere, & sic ex Deo est, quod homo se ad gratiam præparet, sed quod careat gratia, non habet causam à Deo, sed ab ipso homine. Ergo illam motio gratiæ operantis talis est, ut possit homo ei resistere, quod repugnat auxilio physice prædeterminanti. Et ita ex his simul sumptis oppositum aperte probatur, præterquam quod saltem in electionibus gratiæ apertissime in utroque loco dicit D. Thomas voluntatem non prædeterminari à Deo, sed ipsam se mouere & determinare, licet præmota per intentionem finis, certum est autem actus supernaturalium electionum esse ex auxilio efficaci gratiæ, ergo de ratione efficacis auxilij non est, quod prædeterminet, alias semper & in omnibus actibus eam rationem seruaret, ergo nec voluntate simplici, seu intentione finis est necessarium tale auxilium prædeterminans. Probatur consequentia, tum quia efficacia auxilij eiusdem rationis quo ad hoc est in omnibus actibus, tum quia rationes sumptæ ex libertate, & sufficientia auxilij, quæ in illis actibus procedunt, tum denique, quia isti actus solum differunt ab electione, quod voluntas tunc non mouetur medio consilio, ex præuio actu proprio, sed ex vi obiecti apprehensi per cogitationem ab alio immixtam. Hæc autem differentia saluatur optimè sine prædeterminatione physica, & ad summum declarat gratiam excitantem aliter esse necessariam in intentione finis, quam in electione mediorum; quia ante intentionem est voluntas quasi dormiens, & ideo debet ab alio incipere excitari, postquam vero iam excitata est, & intentionem liberè elicit, per illam potest excitare intellectum ad consulendum, & ita se ad electionem mediorum mouere.

Quinto obijciunt quod D. Thomas 1. 2. q. 112. art. 3. dicit, Si ex intentione Dei mouentis est quod homo gratiam consequatur, infallibiliter ipsam consequitur. In quibus verbis sine dubio loquitur D. Thomas de motione per auxilium efficacem, cum dicat infallibiliter consequi effectum. Deinde clarè supponit tale auxilium

Qq 2

dari

8. Confirmatur ex eod.

9. Probatur consequentia.

Obiectio 5.

dari ex intentione absoluta, & prædestinativa Dei aliàs non rectè inferret ad illam intentionem infallibiliter consequi effectum quia intentio Dei solum antecedens, seu conditionata, sæpe frustratur effectus; permittente ipsomet Deo. Vnde tandem colligitur auxilium, quæ ex vi illius intentionis datur, esse prædeterminationem, quia procedit ex quadâ voluntate, cui nemo potest resistere.

Ad hoc argumentum responderi potest D. Thomâ quidem loqui de absoluta intentione ex parte sua, non ex parte obiecti, id est, non de intentione dandi gratiâ sanctificantem, de qua in titulo articuli loquitur, nec de intentione dandi præparationem illam quæ est per conversionem perfectam ad Deum, sed de intentione dandi gratiâ sanctificantem illis, qui se ad illam præparaverint. Hanc enim necessariâ consecutionem inter præparationem, & gratiam vult ibi probare D. Thom. ut patet ex titulo articuli, & ex conclusione, quæ ad illud responderet: illâ necessariâ consecutionem gratiæ probat ex eo, quod est ab intentione absoluta Dei, nã ad hoc vocat hominē ad poenitentiam, ut si per eum non steterit, sed actū se convertat, ac præparet, infallibiliter gratiam consequatur, potestque responsio confirmari ex eodem

in 4. dist. 17. q. 1. art. 2. quæstioncula 3. ubi eandē tractat ex eodē etiam quæst. in hoc sensu illam definit, vnde veritū D. Thom. mille sit in eodē sensu fuisse loquutum in alio loco.

Secundò verò concedimus priorem sensum esse etiam ibi à D. Thomâ intentum, quia licet supponat legem dandi gratiam se preparanti sufficienter, quæ sicut generalis est, & infallibilis, ita fundamentū habet in absoluta intentione, & promissione Dei, absoluta, (inquā,) respectu consecutionis: nihilominus non de illa tantū loquitur, sed de illa infert, quod si de intentione Dei est iustificare hominē, cuius cor movetur, ita movebit illam, ut infallibiliter illam consequatur, & consequenter ut infallibiliter convertatur. Et hoc etiam probat locus Ioan. 8. quem adducit. Hoc ergo sensu supposito concedimus duo prima, quæ inde inferuntur, scilicet D. Thomam loqui de motione per auxilium efficacem, & de intentione absolute sanctificandi, vel convertendi hominē, quem vocat. Negamus tamen tertiam illationem, nimirum auxilium, quod ex vi illius intentionis datur, esse physicè prædeterminans, quia sufficit vocatio congrua, ut illa intentio infallibiliter impleatur. Quod probamus primò ex verbis eius, prius enim dixerat ibi interuenire necessitatem non coactionis, sed infallibilitatis, ubi, ut diuisio sit adæquata, includit omnem necessitatem antecedentem, & repugnantem libertati, quam prædeterminatio physica induceret, & postea repetit versus infallibiliter, quod dicit ordinem non ad causam, sed ad præscientiam. Secundò est hic sensus non solum verus, sed etiam necessarius, quia intentio illa includit, in obiecto, quod homo sanctificetur liberè, & ideo postulat motionem, cui & homo possit resistere, ut præparatio ad gratiam sit libera, & infallibiliter non resistat, ut sit efficax motio. Hæc autem duo in physica prædeterminatione non coniunguntur, cum vocatione autē congrua optimè conueniunt, ergo nō est, cur limitemus indefinitam doctrinā D. Thomæ ad motionem prædeterminantē, cum qua cetera repugnant, veritatem ergo habet propter congruam vocationē. Nec aduersarij habēt, quomodo hanc responsionem inficiantur, nisi diuertendo ad impugnandam sententiam mediam, quæ & per se satis defēditur, & in Prolegom. 2. satis, ut credimus nō solum eam defendimus, sed etiam persuasimus.

Ex hac doctrina facile responderetur ad alia testimonia D. Thomæ, in quibus docet homines saluari, credere, amare, aut mereri iuxta mensuram voluntate Dei præscriptam, ut ex p. 1. quæst. 19. & 23. & 2. 2. q. 2. art. 3. & 3. contr. gent. c. 89. & 90. & aliis

locis constat. Nam hæc omnia per vocationem congruam executioni mandantur, & optimè intelliguntur modo proxime explicato, & aliquid de re ipsa in sequentibus addemus, ut omnibus satisficiamus. Nunc verò sensus hic confirmari potest ex eodem D. Thomâ q. 6. de Verit. art. 3. ubi licet doceat, prædeterminationem habere certitudinem in ratione causæ, nihilominus in corpore, & ad 3. declarat, non mandari executioni per media, quæ ex se sint infallibilia ex vi suæ causalitatis, sed ex modo, quo à Deo applicantur. Nam liberum, inquit, arbitrium deficere potest à salutē, tamen in eo, quem Deus præstat, finat, vel si cadat, quod resurgat. At perfectè si certitudo mediūm confisteret in auxiliis prædeterminantibus, multo breuius expeditet D. Thomæ difficultatem ad illa, & ad omnipotentiam, & efficaciam diuinæ voluntatis recurriendo, quod nunquam facit, quoties in particularibus mediis ordinem executionis declarat.

At potest oblatre alter locus in q. 6. de Malo, art. vnic. ad 3. ubi differentiam constituit inter hominem, & brutā, quod brutā determinatè mouentur ad vnum per instinctum. Sed Deus, inquit, mouet voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis mouentis, quæ deficere non potest, sed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter se habet, non inducit necessitatem, sed manet libera. Vbi illa verba immutabiliter, & per efficaciam, statim explicat per verbum infallibiliter dicens, sicut etiam in omnibus providentiis diuinis infallibiliter operatur. Vnde illa immutabilitas magis ex parte Dei, quam ex parte hominis intelligenda est, Deus enim ita mouet prædestinatum modolibet, & contingenti, (ut in vtroque loco D. Thomæ dicit,) ut nihilominus prædestinatio Dei immutabilis sit. Hoc autem prouenit ex efficacia voluntatis suæ, quæ non consistit in hoc, ut per physicam prædeterminationem ad liberum actum moueat, hoc enim repugnat, sed in hoc, quod tot potest administracula adhibere, prout videt esse congrua prædestinato, ut infallibiliter obtineat, quod intendit.

Atque hæc tantum inuenire potui in doctrina D. Thomæ, vel ab alijs allegata, vel ex parte aliqua à me obseruata, quæ colore aliquo possint in hoc puncto adduci. Existimo tamen illa sola sufficere ad ostendendum, D. Thomæ nec agnouisse, neque fortasse cogitasse de aliquo auxilio gratiæ physicè prædeterminante, tum, quia si rem tanti momenti ex illo auxilio pendere existimasset, debuisset profectò aliquam disputationem de illo texere, illius naturam, & vim, & concordiam eius cum voluntatis clarè & locutè explicare: hoc autem nunquam fecit, ut visum est, ergo magnum argumentum est illud non agnouisse. Tum etiam, quia in eisdem locis, vel similibus, quæ pro illa sententia adducuntur, multa dicit, quæ cum tali modo auxiliij non rectè subsistunt, ut obiter explicauimus.

Præsertimque notanda sunt duo, vnum est, quoties D. Thom. dicit Deum mouere voluntatem secundum modum suum, explicare modum illum, ut sit modus indifferentiæ, & indeterminatiōis ad opposita. Iuxta quam interpretationem, illa duo, scilicet mouere voluntatem, repugnantiam inuoluunt secundum doctrinam D. Thomæ, quam expressè tradidit in dicto quodlibet 1. art. 7. ad 2. & dicta q. 6. de Malo, art. vnic. & satis indicat p. q. 3. art. 1. ad 3. & 4. præsertim ad 5. circa finem. Alterum notandum est, non aliter explicare D. Thomæ præmouendo voluntatem illam non necessitate, nisi quia ita mouet, ut voluntas possit motioni resistere, ut expressè dicit in dicto quodlibet ad 2. Et idem sumitur ex dicto art. vnic. quæst. 6. de Malo, ad 15. ubi ait, quod licet Deus faciat voluntatem

tem velle, non oportet, quod ex necessitate hoc faciat, quia potest per ipsam voluntatem impedimentum praestari. Hoc autem quomodo fieri possit a voluntate, explicat D. Thomas dum addit, vel remouendo cogitationem, quae inducit ad volendum, vel ad considerandum oppositum, scilicet, illud quod proponitur ut bonum, secundum aliquid non esse bonum. In quo aperte supponit ut voluntas non inducatur ex necessitate per motionem prauiam gratiae, oportere, ut possit illam impedire, vel remouendo illam, vel alio simili modo. Et aperte loquitur de potestate voluntatis in sensu composito, nam remouere cogitationem supponit cogitationem, ut per se patet. Cumque doctrina illa formalis sit, & generalis, habet locum in omni praua motione. Vnde ex doctrina D. Thomae omne auxilium praeueniens voluntatem, si a voluntate remoueri, seu illi resisti non potest, ex necessitate liberari contraria mouet. Et ideo in eodem articulo ait D. Thom. quod si dispositio, per quam aliquid videtur alicui bonum, non subiacet voluntati, ex necessitate voluntas mouetur.

Est praeterea optimus locus hanc D. Thomae mentem ostendens in 1. p. q. 62. art. 3. ad 2. ubi sic ait. Inclinatione gratia non inducit necessitatem, sed habens gratiam potest ea non vti; & peccare. fateor quidem verba illa scripta esse de gratia habituali, nam de illa tractatur in articulo, & in argumento, nihilominus nos non consideramus materialiter, ut sic dicta, illa verba, sed formalem rationem eorum, nam ratio ob quam gratia non inducit necessitatem, ideo est, quia potestati habentis subditur, ut illa utatur, vel non utatur. Ergo si aliqua est gratia, quae ita inclinat mentem hominis, ut non sit in potestate voluntatis ea vti, vel non vti, sed illa posita necessitate ad usum eius, talis inclinatio gratiae inducit necessitatem, ex mente D. Thomae. Et ideo in principio solutionis vniuersalem profert sententiam. Omnis forma inclinat suum subiectum secundum modum naturae eius. quod intelligitur non solum de forma per modum habitus, sed etiam per modum motionis actualis, quae, ut recipitur, in mobili forma eius est. Et ita etiam de actuali habere eandem propositionem D. Thomas in locis supradictis, & qu. 3. de Malo, art. 2. Quid autem sit formam recipi secundum modum subiecti respectu rationalis naturae, non est, nisi quod in usu, & effectui eius libertati subdatur, ut in aliis verbis allegatis D. Thomas declarauit, & in aliis locis notauimus.

Et hinc etiam sic quod maxime intentionem nostram confirmat, ut quoties D. Thomas vult explicare, quomodo gratia non obstante libertate habentis, illum inducit ad bonum, indeclinabiliter, & ineffabiliter in officio continet, non id tribuit motioni praedeterminanti, sed vel custodiae diuinae, eiusque excitationi, ut q. 24. de verit. 9. ubi de viatoribus etiam virtute perfectis ait, ita inclinari ad bonum, ut difficile cadant, subdit autem. Sed totum, quod deficit ad confirmationem, compleitur per custodiam diuinam providentiam in illis, ut scilicet, quandoque occasio peccati se inserit, eorum mens diuinitus excitatur ad resistendum. Vnde etiam vocationi hoc tribuit, ut in qu. 6. de verit. art. 1. ubi ex praedestinatione dicit sequi glorificationem, in qua est consecutio finis, & collationem auxilij ad consequendum finem, (vtique congruum, & efficax,) & illud declarans, addit, quod est appositio gratiae, quod ad vocationem pertinet. In vocatione ergo constituitur auxilium efficax, quod praedestinatio conferatur. Quod expresse dixit super Rom. 8. libro 6. ubi ait, praedestinos trahi per vocationem internam, quae, (dicit,) nihil aliud est, quam quidam mens in istis, quo cor hominis mouetur a Deo ad assentiendum, in his, quae sunt fidei, & virtutis. Et addit, Et haec

Er. Suarez de Gratia Part. II.

vocatio in praedestinati est efficax, quia huiusmodi vocationi assentiunt. Vnde alibi hoc auxilium vocat efficax persuasionem per alicuius, vel per leuia, &c. ut quaestione 22. de verit. art. nono ad 8. ubi hoc modo exponit illud Luc. 14. Compelle eos intrare, & Luc. 14. similiter Ioannis sexto exponens illud, Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum, dicit, Patrem trahere, per illuminationem, & inspirationem internam, per quam, ait, si quis non trahatur, non est defectus trahentis, qui quantum est ex se, nulli deficiit, sed est propter defectum eius qui non trahitur. Quod certe non habet locum si praedeterminatio physica est necessaria, ut ostendimus. Ex his ergo omnibus concludimus D. Thomam de praedeterminatione physica nihil formaliter decreuisse, nec aliquid de motione voluntatis a Deo per auxilia tradidisse, quod sine tali praedeterminatione non optimè subsistat. E contrario verò multa in eius doctrina inueniri de modo, quo Deus mouet voluntatem, siue per gratiam prauam, siue per alios modos prouidentiae suae, quae partim eundem modum excitandi, & trahendi homines contineant, quem nos dicimus, prae se ferunt, partim aliqua continent, quae physicam praedeterminationem non compatiuntur. Nam si attentè considerentur, quae diximus, haec omnia satis probata ex illis relinquantur.

CAPVT L.

Quid alij antiqui Scholastici in hac controversia senserint.

IN libro 3. tractando hoc punctum, de concursu prauo, & praemotione primae causae in secundam, an necessaria sit ad omnes actiones causarum secundarum, praeter concursum simultaneum, plures Scholasticos antiquos negantes talem praemotionem esse necessariam, allegauimus, applicando illam doctrinam ad punctum de concursu Dei ad actiones peccatorum. Illos ergo omnes solum in praesenti puncto pro nostra sententia allegare, quia cum potissimum fundamentum contrariae sententiae abnegent, acuerant, merito quidquid super illud edificatum est, destruxisse, & negasse affirmare possumus. Et ita etiam plures illorum pro nostra sententia refert Ledesma in principio suae quaestionis vnicæ, de Auxilium nimirum Alensem, Bonauentura. Marfil. Gabriel. Gregor. Henric. Capreol. & Caietanum.

Et Alensis quidem multum fauet 1. p. quaest. 26. memb. 4. art. 3. dum declarat, quomodo prouidentia sit de actibus liberis, non secundum acceptionem, sed secundum concessionem, ut ipse loquitur, id est, ut de clarat, non secundum modum, aut motionem, cui resisti non possit, sed ita, ut relinquatur voluntati potestas resistendi, & contradicendi, &c. & memb. 7. art. 2. ubi ait, Deum per suam prouidentiam circa actiones voluntatis, non inducere necessitatem ab hoc, id est, non necessitatem causae efficientis, & impellentis, sed inducere necessitatem ad hoc, ordinando actiones ad debitos fines, quod bene declarat. Et q. 40. memb. 4. ad 3. excludit apertè praedeterminationem voluntatis diuinæ ab actibus liberis, & videtur loqui etiam de praedeterminatione ad intra omnino absoluta, & ita exponit Damascenum, vnde a fortiori sequitur Deum non praedeterminare ad extra voluntatem.

Secundò ac merito allegatur Bonauentura, licet soleat in contrarium citari in 2. d. 26. art. vnic. q. 2. fauet 6. Sed ibi solum tradit communem doctrinam, de

Qq 3

gratia